audiverunt, vel ſi audiverunt, parùm tamen eum curant, ac proinde Eccleſiæ Romanæ, nec filiæ, nec membra, dici queunt, v.g. *in Africa, Ægypto, Aſia, Armenia, Palæſtina, Inſulis Orientalibus, Cilicia, Tartaria, Perſia, Æthiopia, Taurica Cherſoneſo, Græcia, Macedonia, Epiro. Thracia, Bulgaria, Raſcia, Servia, Boſnia,* W*alachia, Moldavia, Podolia*, quæ partim fuerunt, partim etiam adhuc ſunt ſub juriſdictione Patriarchæ Conſtantinopolitani. Nec vera Jeſuitarum eſt gloriatio, fidem Papiſtarum immenſas Canadæ & Huronum Sylvas emenſam, feros Braſiliæ, Mexico, Peru anthropophagos, indomitos Africæ Cafros, ultimos Aſiæ Mogores, Indos, Moluccos, Japones, Sinas excedere. Plurimæ & florentiſſimæ ſunt Eccleſiæ, Reges, Electores, Principes, Comites &c. qui Romanæ Eccleſiæ nuncium remiſerunt, ejusq; jugum excuſſerunt in *Germania, Dania, Svecia, Norwegia, Anglia, Bohemia, Belgio, Polonia, Hungaria, Scotia, Gronlandia, Scetlandia, Islandia, Lappia, Boddia, Carelia, Finlandia, Moſcovia, Græcia &c.* Experiantur Pontificii, num hi omnes ſint oſculum pedi fixuri ſupplices? *Non erit Romana Eccleſia Catholica & ampla tempore Antichriſti illius trimuli in fine mundi*, quando tota Eccleſia anguſtiſſimis limitibus erit incluſa. Matth. 24. v. 11. 22. 24. Luc. 18. v. 7. 2. Theſſal. 2. v. 9. 10. 11. 2. Pet. 2. v. 1. 2. Apoc. 12. v. 6. cap. 13. v. 8. 14. cap. 17. v. 1. 2. cap. 19. v. 2. Imò Jeſuitæ nonnulli magni nominis diſputant, *Romam ſub mundi ſeneſcentis finem, ante Antichriſti adventum, Pontificem ſuum excuſſurum, â Chriſti fide, Catholicâ Religione & Pontificis obedientiâ ad Idololatriam & Ethniciſmum, veluti canis ad vomitum, relapſuram, toti Orbi dominaturam, ſæviſſimam Chriſtianæ Eccleſiæ oppugnatricem, omnium ſcelerum officinam, talemq; futuram, qualis fuerit tempore S. Johannis ſub Domitiano, Nerone, Decio, aliisq; gentilibus Imperatoribus.* Ita ſcribunt Cornelius â Lapide